Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 899
Quelle:
Copyright:

Sorte ſupern ſcri libri poc
orum ptor iatur.
Morte ſuperb ra libri mor

Demum, ut *fol.* praevio, ita hic *ultimo* Chronologica quaedam adſcripta ſunt, et quidem fabuloſa illa Series Principum *Auſtriae* ab *Abrahamo pagano* et uxore *Suſanna*, *anno*que *VIII*°. *X*°. *XII. die Menſis Juni* per *Judaeos* ad *Chriſtianos* et *Ladiſlaum Poſth.* a. 1440. deducta, cui *Ludovici Bav.* et *Rudolphi Habsburg.* Genealogia inſerta eſt. Caſtigavit illam pro merito *Aen. Silvius* in *Hiſt. Friderici III. Imp.* Adi *Kollarii Analector. Vindob.* T. II. a *col.* 15.

CCCXCV.

R. 3092 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 119. 4. eleganter a prima manu ſcriptus, et rubricis diſtinctus hanc in fronte Notam praefert: *Hunc librum emimus ab auguſtinenſibus pro XII. ſolidis Anno Domini M*°. *CCCC*°. *decimo Octauo id eſt in primo anno ingreſſus mei ad hoc Monaſterium ſancte Dorothee virginis.* Igitur *Viennae.* Eſt autem hoc Titulo: *In nomine domini noſtri ihesu chriſti incipiunt capitula in primo Libro dialogorum.* Videlicet B. *Gregorii* Papae. Ita et Libri III. reliqui ſuum Capitulare praevium habent, quod manus quaedam poſterior uberius contenta explicando paſſim deturpavit, ſecundo excepto. Operis a me jam non ſemel relati principium eſt: *Quadam die dum nimis quorundam ſecularium tumultibus depreſſus* &c. Omnia integra. Textus cum edit. *Maur.* T. II. *Pariſ.* 1705. *col.* 149. bene conſpirat; legit tamen ſub ingreſſum *excoqui cordis dolore* pro *languore*, item *nec tamen ſe perdidiſſe meminerit* pro *ſi tamen ſe*, quod ajunt *Mauriani* reperiri in omnibus Mſs, ipſi interim ſuſpicantes, legendum eſſe *ſic tamen ut ſe*, item *ut cum nauigamus longius* pro *quia cum* &c.

Addam Adclamationes ad Codicis calcem inventas, quas ex ingreſſu prope erat, ut ſatyricas crederem: *Cum Symon chriſto donante epiſcopatus apicem conſcenderit. fruatur huiuscemodi benedictione. Omnipotens ſua gratia deus uos benedicat. & ab omni malo defendat. Amen. Et quoniam pro eius honore ad dedicandum eius templum aduenistis. faciat uos perſeuerare in operibus bonis. Amen. Et quando ipſius iuſſu de hoc ſeculo migraueritis. tunc perfecti inueniamini. ut cum gaudio aggregari ſanctorum cetibus mereamini. Amen. Omnipotens deus ſua uos clementia benedicat. & ſenſum in uobis ſapiencie ſalutaris infundat. Amen. Catholice fidei documentis enutriat. & in bonis operibus perſeuerabiles reddat. Amen. Greſſus ueſtros ad ueram uite uiam dirigat. uiamque uobis pacis & karitatis oſtendat. Amen. Benedicat uos dominus. cuſtodiat uos ihesus chriſtus. illumi-*

net